

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Inscriptio :

Reverendis pietate, dignitate, virtute, doctrina & humanitate
præstantibus Dn. Pastoribus, Doctoribus & ministris Ec-
clesiæ JESU Christi in urbe Argentorati, Dominis & ami-
cis meis observandis

Præsentatæ 16. Febr. in Eccles.
conventu & lectæ.

Resignentur & legantur ca-
ram universis.



CLVI.

S. Clarissime D. Doctor, Patrone observandissime.

Mitto præfenti occasione pagellas aliquot hic editas, quas boni consules & aliis
etiam amicis suas communicabis. Ego in litore hoc Balthico satis commodè
vivo. Frater autem, quod nosti, ab Imperatore & statibus Austriæ Viennam vo-
catus est, ut certas ibi Ecclesias ad normam Augustanæ Confessionis constitueret.
DEUS ipsi in itinere longinquo & opere difficili clementer adsit, eumque incolom-
men ad suos reducat. In his locis tanta frigoris vehementia hac hieme fuit, ut fenestras
nihil vere simile meminerint. Putei etiam frigore aliquibus in locis congelati sunt.
Non etiam pauci in itineribus inventi mortui. Postridie Natalis Christi ingens ar-
dor cæli, tota fere nocte supra Rostochium conspectus est, quid portendat, soli no-
tum est, qui omnia novit, Deo. Pax inter Danos & Suecos certis conditionibus
constituta esse dicitur, quam Deus diuturnam esse sinat. Plura quæ scribam, non
habeo, neque etiam verbosa epistola, tibi occupatissimo molestus esse debeo. Be-
ne itaque cum honestissima conjuge & tuis omnibus vale. Rostochii, 12. Januarii,
Anno 1569.

I. Ex, deditus

Nathan Chytraeus.



CLVII.

Salutem in Christo.

Postquam pia Ecclesiarum in Ducatu Brunsvicensi facta est instauratio,
Wirtebergam profectus sum, ut tentarem ibi animos, quomodo erga piam
concordiam sint affecti? Et collocutus sum cum D. D. Georgio Majore pro-
lix-

lixius, quæ omnia iussit conferbere, ut eadem etiam suis Collegis, qui nunc absunt, demonstrare possit. Conscripti igitur præsentibus articulos, quibus manibus & pedibus subscribit. Idem tegerunt Magdeburgenses Theologi, apud quos per octo dies commoratus sum, ubi etiam quasi per guniculos in scholam irrepere voluit Calvinismus & perversa doctrina de Communicatione Idiomatum. Subscriperunt etiam M. Sebastianus Bostius, Superintendens Hallensis, & M. Abrahamus, Superintendens Zeithchenensis. Eadem scripta ad te quoque mitto, ut Collegarum tuorum consensu firmentur, aut si quid desiderent, significant. Videor enim mihi perspicue veritatem in omnibus articulis controversis asseruisse, cujus causa hæcenus litigatum est & disputatum. Nimium si emungamus, metuo, ne sanguinem eliciamus. Et hos articulos nemo nisi bonus subscribet. Reliquos iudicio Domini relinquamus. Quod si successerit, ut spero, non defuturi sunt Principes, qui hoc nostrum institutum promovebunt, provehent, & pro virili suo etiam tuebuntur. Id quam sit necessarium nostro tempore, vides. Idem ut etiam D. Illyrico persuadeas, oro. Aldenburghi maximo cum offendiculo articulum justificationis in Disputationem trahunt, cujus tam aperta est veritas, ut Papistæ vix contradicere audeant. Sed hic finis est certaminum de personis, ubi res amittuntur. Tu facias primo quoque tempore, ut sententiam Tuam & Collegarum Tuorum omnium habeam, quos meo nomine reverenter salutabis. Bene & feliciter vale. Francofurti, 6. Februarii 1569.

Tuiss.

Jacobus Andreæ.

CLVIII.

Salutem in Christo Jesu. Reverende & Clarissime Vir,

Domine & frater honorande.

SCripfit ad te D. Hartmannus Francofurtia, & misit articulos de controversis capitibus, de quibus Augustanæ Confessionis Doctores litigarunt hæcenus, in quibus scio Ecclesiarum nostrarum doctrinam perspicue comprehensam esse, sub quibus etiam nullus latitare potest, qui diversum aut contrarium doceat. Cum igitur iudicem, hoc præsertim tempore plurimum referre, ut pius in his sit consensus & aliquando etiam publicum ejus rei extare possit testimonium, te per Christum oro, & amicitiam nostram, ut si factum non est, articulos commemoratos legas, & Collegis tuis legendos & examinandos